XXXVIII
ANON.





S. GERMAIN L'AUCERROIS

Grand Prelat sous ton nom l'erreur tombe par terre
Paris sur ta parole à receu de Nanterre
Celle qui de ses murs fait le plus fort appuy

Et voulant que Iesus soit sont seul heritage
Tu luy donne la Croix cóme vn illustre gage
Qui l'oblige à jamais à ne viure qu'en luy

ELOGIA
SANCTI GERMANI
AUTISSIODORENSIS EPISCOPI
ET ALIORUM SANCTORUM
QUORUM CORPORA
IN SACRO EJUS COENOBIO AUTISSIODORENSI
CONDITA SUNT.

AUTISSIODORI,
Typis Francisci Garnier, Typographi Regii, nec-non Illustrissimi ac Reverendissimi Domini D. Episcopi, Urbis & Abbatiæ Regalis Sancti Germani.

M. DC. LXXXVII.

D. O. M.

SANCTO GERMANO
ET OMNIBUS SANCTIS
HIC QUIESCENTIBUS.

STA VIATOR.
Imo ne steteris, sed in genua provoluere precabundus;
Dedecet enim virum pietati addictum stare,
Ubi tot Sanctorum corpora jacent.
Inter plures quorum nomen & numerum novit
UNUS DEUS;
Qui numerat multitudinem stellarum, Psalm. 146.
Et omnibus eis nomina vocat;
Aliquot ex nomine accipe.

PRimo aditu occurrit
Beatæ memoriæ HERIBALDUS,
Cui hæreseos labem voluerunt aspergere nonnulli,
Et ut malæ doctrinæ sectatorem insectati sunt,
Sed malè:
Quippe qui creditas sibi Catholicas veritates
Cæteris credendas integerrimè proposuit;
Et verbis ac operibus,
Mendaces ostendit qui maculaverunt illum. Sap. 10.

Hic natione Bavarus
Majorum solum & solium reliquit,
Majores Cœli divitias in Francorum Regia quæsiturus.
Hujus tanta fuit in egenos misericordia,
Ut pauperes induendo,
Paupertatem induerit.
Huic potiore titulo committi non poterat
Ab Imperatore, cui nomen fecit Pietas,
Largitionum distribuendarum Præfectura.
Hunc assentiente Pio Principe
In Abbatem istius Monasterii electum,
In sponsum sibi elegit Ecclesia Autissiodorensis;
Quam & coronis decoravit quatuor,
Et ornavit monilibus suis.
Sanctorum Pignora.
Quæ passim per hanc Ecclesiam à CLOTILDE Reginâ extructam
Condita erant,
In Cryptas transtulit.
Sancti GERMANI corpus lipsanothecæ intulit,
Ejus Cœnobio bona plurima contulit;
Et cum obdormisset in Domino,
Hoc in loco præcepit se componi;
Ut tot sacris opibus locuples,
Secus Thesaurum suum securius quiesceret.

HEribaldum proximè sequitur ABBO,
Qui proximi sui sponsam in Domino duxit
Deut. 25. Eique suscitavit semen
Ut non deleretur nomen ejus ex Israël.
Is quoque fuit hujus Monasterii
Dignissimus Abbas,
Cui dignitatem hanc jamdiu nomine prænunciatam
Contulerunt merita.

ABboni accumbit FRATERNUS
Qui uno eodemque die Sacerdos & victima,

Meruit

Meruit in Episcopum cruore suo consecrari :
Et per proprium sanguinem introivit semel in sancta ,
Æternâ redemptione inventa.

✠

CENSURIO itidem obtigit Ecclesia Autissiodorensis ;
Dum ipse successit FRATERNO ;
Ex cujus acerbâ morte
Dulces Religionis fructus collegit ,
Numerosam in Christo sobolem.
Sanguis quippe *Martyrum semen est Christianorum* , *Tertull. Apol.*
Hic Censuræ Pontificiæ munus sic gessit ,
Ut irreprehensibilis ipse
Aliorum culpas confidenter reprehenderet.
Quid mirum ?
Cum etiam vivens à Sancto Sanctus fuerit appellatus ;
Et Sancti GERMANI gesta
Re , ore , & opere digesserit.

✠

HIc olim in Sancti BENEDICTI Sacello
Post obitum depositus fuit Sanctus ROMANUS
Ejusdem sanctissimi Patris primùm altor ,
Tum Alumnus :
Qui sanctæ Conversationis habitum illius recepit
Cui tradiderat ;
Et popularem auram ac Populatium oram fugiens ,
Quam inter belli odia amiserat in Italiâ ,
Beatam reperit in Galliâ tranquillitatem.

✠

SIste gradum Viator
Tesseram Christianam redde ;
Precationem.
Ad ejusdem enim Sancti BENEDICTI Sacellum ,
Stationarii milites excubant ,
Quos solus Deus numerat , qui munerat.
Quàm amabilis !

Gen. 28. Imo *quàm Terribilis est locus iste*,
Cant. 6. *Terribilis* sane *ut castrorum acies ordinata*,
Cui ex legione Thebæa præest
Sanctus MAURICIUS.
Gen. 28. *Verè non est hic aliud nisi Domus Dei*,
Cœlesteque armamentarium.

❧

SEquentis Sacelli Vestibulum consecrat
Corpus Sancti MARIANI Monachi :
Qui auditâ ingenti de GERMANO famâ,
Majorem famâ GERMANUM vidit,
Ipsius factus auditor.

❧

PRocul ab hoc fornice fornicarii,
Non nisi casti adeant ædem sacram Virgini,
Quam nomen & humilitas fecerunt MAXIMAM.
Matt. 25. Hæc est una ex quinque prudentibus
Quæ ut Patrem sequerentur reliquerunt Patriam
Et ornatis lampadibus Sancti GERMANI funus illustrantes
Cant. 8. Ostenderunt fortiorem morte dilectionem
Cujus *lampades ignis atque flammarum*.

❧

HIc non ita pridem Antistes noster Illustrissimus
NICOLAUS COLBERT,
Dei fidelissimus æmulator,
Christianè sabbathizans
Ut plurimùm semel in hebdomade
Mysterium fidei maximum offerre consueverat.
Hic ergo Vigilantissimus Episcopus,
Job. 3. Cui numen nomen & prudentiam COLUBRI dederat,
Silebat dormiens
Et somno suo mystico requiescebat
Cum Regibus non terræ sed Cœli,
Qui sine sollicitudine
In hôc sacrario ædificant sibi solitudines :

Ut quam in omnibus quæsierat inter vivos *Eccli. 24.*
In hæreditate Domini moratus inveniret requiem
Inter mortuos.

IBidem fœlicem anastasim præstolantur
GERANUS
Qui bene ministrando bonum sibi gradum acquisivit. *1. Tim. 3.*
Archidiaconi quippe munere optimè functus
Ad Episcopale solium meruit elevari.
SANCTINUS & MEMORIANUS Sacerdotes
Quibus nomen omen fuit.
Hujus enim *memoria in benedictione est*, *Eccli. 45.*
Ille sanctitate præcipuâ fuit conspicuus:
Sacris moribus uterque dignus
Qui sacrorum custodes essent.
OPTATUS
Qui omnium civium optatus votis,
Et ad Episcopale munus vocatus;
Omnium optatis studiosissimè respondit.
Hi tres uno eodemque die, simul precibus addicti
OPTATAM SANCTIS MEMORIAM
Morte in oculis Dei pretiosâ meruêre

GAude viator.
En tibi ex Sanctæ Maximæ sacellô exeunti
Alter ad cœlos panditur aditus, per fenestram.
Quidni enim hanc cellulam clathris ferreis munitam
Cœli fenestram dixerim,
Ubi tot sanctorum reliquiæ
Prævià æternitatis quiete perfruuntur.

HIc Tantisper moror
Ut dum Armarium Sacrum introspicis

Nobilissimum suspicias
VENERANDÆ ANTIQUITATIS MONUMENTUM
Lapis est duos in latitudinem pedes habens
Tres in longitudinem.
Et ille quidem, rotundo Schemate, concavus
Innumera Sanctorum Lipsana complectitur.
Quòd mirum est;
Crux ex ipso lapide excisa quasi nascitur
Cujus in quatuor partibus extremis perforatis
Velut in foraminibus Petra
Suavissimè quiescunt & aliæ sacræ Reliquiæ:
Ut videas sic tanquam ex quatuor orbis partibus.
ELECTOS
Per angustum Crucis iter ad cœlos ascendisse.
Dignus certè lapis
Qui pro Altari sacro à SS. Præsule
GERMANO
Celebrandis Mysteriis Solemni ritu
Collocaretur
Anno Salutis cccc. XXII.

SEd extrema gaudii luctus occupet
Et ad Sanctorum Episcoporum AUNARII & DESIDERII
sepulcrum,
Altùm ingemisce.
Utrumque enim scelus & zelus abstulêre nobis,
Pari infortuniô, fortunâ dispari.
Sancti AUNARII corpus hinc elatum
Flammis, quibus digni erant, combusserunt Heterodoxi.
Sancti DESIDERII reliquias auferentes Orthodoxi
Æternum ejus desiderium nobis reliquêre.

IN proximo ad Sancti MARTINI sacellum
Jacet BETTO Episcopus:
Monasterii Sanctæ COLUMBÆ olim filius, tùm Pater,
Cujus

Cujus nulla clarior virtus ,
Quam quòd virtutes ſuas omnes humilitate obſcuravit ?
Cujus tanta erga gregem ſuum ſollicitudo ;
Ut ex nimio labore contractâ pleuritide ,
Decubuerit & occubuerit.

TU quoque Sanctiſſime Pontifex ALAUDI
Licet à laude ſis alieniſſimus ;
Debitas laudes quantumvis fugias ,
Non effugies ,
Hoc ipſo dignus honore , quòd honorem dedignaris.
At tempus omnium edax
Nihil de te in lucem edendum nobis reliquit :
Niſi quod Sancti GERMANI diſcipulus fuiſti ,
Et Succeſſor.
Si quis ergo quantus fueris noſſe voluerit ;
Diſcipulum metiatur ex Magiſtro ,
Succeſſorem ex Deceſſore.

ILli finitimus eſt Beatus CHRISTIANUS.
Vis ipſius magnitudinem de compendio ediſcere ?
In Celſitudine Pontificiâ
Chriſtianam humilitatem retinuit ,
Sui oſor maximus ;
Cæterorum verò , ſed Canonicorum maximè , ac Monachorum
Amantiſſimus ;
Et in hôc veriſſimè CHRISTIANUS.

IN ſequenti ſepulcro jacet Sanctus URSUS.
Inhumanitatem forſitan ominaris ex nomine ?
Falleris.
Eô nihil unquam fuit humanius.
Id unum habuit cum Urſis commune ;
Quod filios , quos plures in Chriſto genuerat ,
Linguâ ſuaviore lingens

Ad perfectionem deduxerit.
Signis ille fuit insignis, quippe ignis
Adeò imperiosus moderator;
Ut flammam longè latèque grassantem abegerit baculô,
Qui mox in Pedum Pastorale demutatus,
Ex Anachoreta fecit Episcopum.

✤

QUi haud longè inde conditur ante B. MARIÆ sacellum
ÆTHEREUS
Terræ nihil præter cunas & feretrum debuit;
Totus quippe fuit Æthereus.
Cujus cum Decessor hostili Barbarorum manu
Mactatus fuisset ROMANUS,
Ipse sibi (prope dixerim) Barbarus & hostis,
Voluntariâ corporis afflictatione,
Hostia Deo gratissima evasit.

✤

VIator, venerare Prototypum in imagine.
Hæc est illa VIRGINIS MATRIS effigies
Sic ad verum efficta;
Ut vivam diceres Virginem si vox non deesset:
Quanquam nec sacræ imagini vox defuit semper
Aliquando enim divinitùs locutam esse perhibent.

✤

INgressus secretiorem & sacratiorem
Sancti GERMANI Cellam,
Devenisti ad Sanctum THEODOSIUM Episcopum;
De quo id unum laude dignum occurrit,
Quod dignitate sua dignissimus fuit.

✤

THeodosio appositus est S. Præsul ROMANUS;
Qui irruentes Christiani nominis hostes,
Dignâ Romano constantiâ, excepit;
Et Christo Servatori,

Suo ſanguine litare non dubitavit.

HIc pie Viâtor corpus adſervatur Sancti Antiſtitis
LUPI;
Cui cum oves ſuas crediſſet BONUS PASTOR,
In ſuperioris Burgundiæ Comitatu;
Ex illis præcipuam huc uſque eſt comitatus
Sanctam CLOTILDEM Reginam:
Ubi conſummato curſu, fide ſervata,
Dum naturæ debitum perſolvit,
Debitam ſibi gloriæ mercedem accepit.

INter vivos numerentur quoque Pueri
FOELIX & MODERATUS
Qui puerile nihil præter ætatem habentes,
Et ipſas inter ſecures ſecuri,
Lacteum innocentiæ candorem,
Effuſo pro fide ſanguine, purpurarunt:
Ut ſic morientes vividis exprimerent coloribus Dilectum
Qui Candidus & Rubicundus. Cant. 5.

EOdem in loco revelationem filiorum Dei expectant
PLURES SANCTI.
De quibus id unum nobis licuit ſcire,
Quod ab hominibus amaverunt neſciri;
Ut Deo ſoli innoteſcerent,
Æquiſſimo meritorum æſtimatori.
Ne quis ergo quam vitam egeritis quærat fruſtra;
Mortui enim eſtis, Coloſſ. 3.
Et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

TOt Sanctorum coronæ coronidem imponat
Sanctus Pontifex ELEUTHERIUS,
Cujus *inſtantia quotidiana* 2. Cor. 11.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum.
Pluribus quippe Conciliis interfuit :
Ut eum meritò nominare possis
Consilium PATRUM & Patrem Conciliorum.

ITerum siste Viator
Procumbensque ora & adora.
Peregrinationis tuæ metam attigisti
Centrum domesticæ sanctitatis.
In hoc enim erecto tumulo
Quem ne dixeris titulum sine re ,
Cum saltem tanti viri contineat cineres ,
Jacuit aliquando ,
O liceat dicere etiamnum jacet !
SANCTUS GERMANUS
Eccli. 50. *Et circa illum corona Fratrum ;*
Qui meritissimè in medio consistit
Ut suum ubique locum occupet virtus.
Cant. 3. Ipse alter Salomon
Cujus lectulum sexaginta fortes ex fortissimis Israël
Et ad præsidium circunstant
Et ambiunt ad honorem.
Ipse inter omnes primas obtinet
Cujus secundùm nomen , ita & laus.
Eccle. 12. Deum enim timens & mandata ejus observans
Fuit vere OMNIS HOMO
Ut Apostolus Evangelium prædicavit ,
Ut Episcopus templa dicavit ,
Ut Doctor hæreses destruxit ,
Ut Abbas Cœnobia construxit ;
1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus ,*
Ut omnes salvos faceret ,
OMNIS HOMO
Hic Autissiodoro oriundus.
Imperante Gratiano
Quod illi gratiæ principatum portendebat ;
Nobilissimum sanguinem traxit
A RUSTICO

A RUSTICÔ

Matrem habuit GERMANUS GERMANILLAM,
Ut inde partum parente majorem augureris :
Nec aliam prolem edidit illa ;
Tanto scilicet fœtu naturam exhauriente.
In paterna domo ingenuis disciplinis eruditus,
Ut erat ingenio præcellens,
Celeberrimas Galliarum Academias frequentavit ;
Totque collegit lumina, tot sparsit,
Ut, eo demum domum reverso,
Tanti luminis impatiens
Oculos clauserit parens uterque.
Hinc quas didicerat bonas artes excultutus,
Malas litium artes forum dedocuit,
Juris peritissimus & observantissimus ;
Atque Clientum peroravit causas,
Felici propemodum semper effectu.
Quippe qui privatim Judex antequàm publicè Patronus,
Nullius causæ nisi justæ patrocinabatur.
Sic nimirum dum natura gratiæ proludit,
Grandem nobis apud Deum Oratorem præparat.
Inde ubi amplissimum orbis theatrum subiit Romam
Insolitum eloquentiæ miraculum urbs alma mirata est
Quæ miraculis assueta vix quidquàm mirari solebat.
Cumque nihil seipsâ majus haberet
Tanti viri meritis rependendum :
Quòd salute Cives donasset plurimos,
Ipsum Civitate donavit.
Insuper, ut illum sibi æternùm devinciret ;
Matrimonio illigavit cum EUSTACHIA,
Virgine, pari generis & speciei laude ornatissimâ,
Frugi, at non frugiferâ :
Nam sterilis illius thalamus,
Candicantis instar lilii,
Nil nisi lachrymas genuit ;
Sed quæ, suo tempore, æterna gaudia pepererunt :
Ut solummodò fœcundus ad gratiam GERMANUS
Liberius Domino sine liberis inserviret :

1. Cor. 7. Et ab uxore solutus aliquando ,
Ad obsequium Dei foret expeditior.
Inter hæc , familiæ & nominis claritate,
Corporis & animi dotibus ,
Doctrinâ , eloquentiâ , probitate , prudentiâ ,
Cùm cæteris jam esset superior Civibus ;
Imperatori visus est dignus qui imperaret.
Ergo togâ in paludamentum , calamo in ensem mutato ,
Dux Militiæ præficitur
Gallis GERMANUS.
Sed hunc tantum onus , quod graviorem reddere debuerat,
Leviorem reddidit.
Dux enim in patriam redux ,
Post feras in sylvis deerrans ,
Toto ferè cœlo aberravit ;
Et dum venando perdit operam
Seipsum tantùm non perdidit.
Scilicet venationi plus æquo indulgens ,
Captarum ferarum capita
Piro numini falso dicatæ appendebat
Nec perpendebat
Quantam Numini supremo injuriam inferret :
Illum zelo correptus AMATOR corripiebat,
Et increpabat liberè ,
Ut Filium
At ubi animadvertit
Piis Eum monitis deteriorem fieri ;
Decrevit exscindere malam arborem ,
Matt. 3. Ne malos fructus faceret.
Igitur excidit arborem , Præsul intrepidus ;
Et pirus pyrâ periit.
At simul cum arbore periisset AMATOR ,
Nisi exitium vitasset exiliô.
Nec id quidem sine Dei providentiâ ,
Qui ut inimicitias componeret , hostes dividebat.
His ergò efferatus GERMANUS ;
Et irâ excandescens , unde ei fuerat erubescendum,
Odio capitali prosequebatur AMATOREM.

Cedendum ratus irato
Fugâ vitæ consuluit AMATOR & fugiendo vicit.
Nam, quæ *mutatio dexteræ excelsi* !
Qui prius ut leo rugiebat, iræ impatiens,
Postea quasi agnus mansuetus, Divina patiens,
Coram tondente se obmutuit GERMANUS. *Isai. 53.*
O gratiæ prodigæ prodigium !
Cujus jam tum efficaciam in seipso probavit,
Eam olim adversus Pelagium probaturus,
Itaque in alium virum derepentè mutatus,
Ne alterum in GERMANO AMBROSIUM expectantis
Ecclesiæ vota diutius suspenderentur ;
Et ex Milite Clericus,
Paulò post AMATORI decedenti successit :
Et septimus sedem Autissiodorensem obtinuit,
Ut in septimo quiesceret Deus.
At in eâ sede nunquam quievit GERMANUS,
Qui eò velociùs emensus est virtutis cursum
Quem serò inchoaverat ;
Quò se à metâ noverat esse remotiorem.
Tunc abdicato Gallorum Ducatu,
Oves deducere cœpit :
Ac pedum pro baculo gestans,
Imperando servivit, serviendo imperavit ;
Factus eorum servus quorum Dominus fuerat.
Nec modo servus,
Sed filius, sponsus & Pater Ecclesiæ Autissiodorensis,
Ut filius spiritum,
Ut sponsus corpus,
Ut Pater divitias
Illi liberaliter est impertitus.
At at virtutes ipsius enarrare omnes
Nostram longe superat virtutem :
Cui jejunia cibum, vigiliæ quietem,
Labores voluptatem subministrarunt.
Pane hordeacco & aquâ victitans, *Psalm. 101.*
Cinerem tanquam panem manducans,
Potumque suum miscens cum fletu

Bis tantùm *in ſabbatho* corpus reficiebat
Quod vix ſufficiebat ut non deficeret,
Mortem non tam arcere viſus quam accerſere.
Iſai. 38. Conſumptos perperam vitæ *annos recogitans*,
In amaritudine animæ ſuæ;
Vanos ſudores perpetuo deterſit cilicio,
Odium quô in AMATOREM arſerat ſuis extinxit lachrymis,
Cunctaque piacula maximâ pietate expiavit.
Humiliter ac demiſsè de ſe ſentiens
Nudâ in humo quieſcebat nudus:
Et cùm vel ſeverioris vitæ homines
Mortem in cinere ſemel operiantur;
Ipſe quotidie in cinere ſomnum capiebat.
Fuit inter divites pauperrimus,
Qui, ex ampliſſimis facultatibus, nihil ſibi ſeponebat.
Fuit inter pauperes ditiſſimus,
Qui omnia in diſco ligneo poſſidebat.
Quæris quàm pauper?
Matt. 8. Ne quidem habebat ubi caput ſuum reclinaret.
Quæris quàm dives?
Inopibus opes, afflictis opem,
Ægrotis ſanitatem, criminum reis ſanctitatem,
Omnia omnibus tribuebat.
At ex omnibus unum deme Dæmonem,
Cui, ut omnium hoſti infenſiſſimo,
Semper infenſus,
Nihil omninò tribuit.
Præteritorum criminum memoriâ,
Ac præſentium meritorum intuitu,
GERMANUM aut in deſperationem aut in arrogantiam
Tentavit Dæmon inducere;
Nil curans quonam ipſum crimine in diſcrimen adduceret.
At ipſe deſperationi ſpem, arrogantiæ metum objiciens,
De hoſte ſubacto virtute invictâ triumphavit
Gaudebant Dæmones ementitô Fatidicarum mulierum nomine
Laruam detraxit,
Atque muliebri habitu incedentes in fugam vertit
Vir Prudentiſſimus

Aptiores

Aptiores sibi formas induunt ferarum ;
Ut GERMANUM vel aliquo terrore torqueant.
Verùm ipse sibi efformans sanctæ crucis signum ,
In malam crucem adegit tortores ;
Et vanis terriculis evanescentibus ,
Territantes se terrefecit ;
Hoc ipso Dæmonibus timendus , quòd Dæmones non timeret.
Spiritus illi tumidi
Tumorem gulæ hominibus induxerant :
Scilicet periculosissimum esse gulæ morbum ,
In hominum Protoparente fecerant periculum. *Genes. 3.*
Quid ad hæc sapiens medicus ?
Contraria contrariis opponit ;
Et tumori gulæ , humilitate ac jejunio medetur.
Gallis cantum ademerat Diabolus
Ne ut olim Petrum , Gallos ad pœnitentiam provocarent:
His cantum suis gemitibus restituit GERMANUS.
Infernorum odio , demeruit amorem supernorum ,
Quibus , ut similitudine ,
Sic familiaritate fuit conjunctissimus ;
Uultu scilicet inter hominem & Angelum ambiguo,
Tantùm non corpore cœlestis.
Cum Sancto CASSIANO in tumulo jacente collocutus est ,
Sicut loqui solet homo ad amicum suum.
Cum plures è sepulcri tenebris ad lucem revocaverit , *Exod. 33.*
Oblatam iterum vivendi gratiam ,
Cum gratiarum actione , abjecerunt nonnulli.
Ut à mortuis discerent vivi ;
Christiano æternitatem speranti
Mortem esse vitâ potiorem.
Quas illi detexerat Deus
Has ille erexit Sanctorum reliquias ;
Templis , Aris , Sacris exornavit ;
Et quæ quotidie perpetrabat divinæ potentiæ signa
Ipsis assignavit admotis ;
Ut debitum sibi honorem in illas transferret ;
Suâque jam tùm pietate ,
Futuram Agiomachorum damnaret impietatem.

Nec futuram modò ſed & præſentem damnavit
In Pelagianis :
Quorum hæreſis , quaſi lues quædam exitialis ,
Anglicanum populum tunc populabatur.
Namque Patrum Concilii decreto ,
Et patris Conciliorum authoritate profectus eſt
Ut Anglos mutaret in Angelos ,
Atque gentem hanc Gratiæ inimicam
Cum Deo in gratiam reduceret ;
Ex duobus AUGUSTINIS alteri ſuccidaneus miles ,
Alteri anteſignanus.
Dum iret , Nanterræ Cœlo comparavit
GENOVEFAM ,
Virginem ætate ſexennem , pietate adultam.
Quô putas pretio comparavit !
Æreo numiſmate cruce ſignato ,
Quod ex ſuâ materiâ & formâ
Jam tunc illi ærumnas & cruces præſignabat.
Cujus cervici cum diu impoſitam manum habuiſſet ,
Per Nonas & Veſperas ;
Victimam Deo devovit ,
Sponſam Chriſto inauguravit
Cœli Victimarius & pronubus.
Vidit & invidit Cacodæmon ,
Ejuſque charitatem extinguere conatus eſt
Irritatis Oceani aquis ;
Sed irritô conatu.
Nam decumani illi fluctus ,
Qui non niſi dormientem auſi erant aggredi
Ut primùm vigilare cœpit , quieverunt.
Itaque Pelagium ſuperaturus ſuperavit Pelagum
Et Deo fretus fretum transfretavit.
Simul atque ad littus appulſus eſt ;
Ut turbas vinceret in deſertum ſeceſſit ,
Domini veſtigiis inhærens ;
Et quod loqueretur , tacendo didicit.
Inde oratione & jejunio fortior factus ,
Hæreticos ratione convicit , non vicit ;

Et cum puellæ cæcitatem oculorum sanasset,
Non potuit tunc mentis hominum cæcitatem sanare.
Ergo sacræ militiæ authoratus,
Auctore & commilitone Deo;
Filium probum in improbum patrem,
Regem in tyrannum,
Regionis & religionis propugnandæ causâ, concitavit.
Quid plura?
Hostes superavit, non armis, sed fausto & festo cantu
ALLELUIA.
Epinicium ante victoriam canentem,
Ovantem ante certamen dixisses.
Et meritò,
Certam enim ad victoriam certat,
Cui Deus ipse decertat:
Cujus adversarii sibimetipsis adversantur.
Hoc pacto Anglos duplici bello solutos
Terrore & errore liberavit:
Et quas oves ab Ecclesiæ ovili abduxerat Dæmon,
Ille; cooperante sibi LUPO, reduxit.
O si hujusmodi Lupos etiamnum haberet Anglia,
Quæ omnibus caret!
Iterum in fidem rebellaverunt Angli:
Iterum Patres, totum belli pondus & momentum victoriæ
In uno GERMANO collocantes,
Eum in Angliam miserunt:
Quam ut primùm ingressus est,
Prosperrimum habuit exitum.
Scilicet, pluribus Hæreticorum millibus
Ad unam & Germanam fidem revocatis,
Antiquis damnavit moribus Novatores;
Impiorum dogmatum authores exauthoravit;
Et quotquot adhuc ferocientes invenit,
Ad Sanctum LEONEM amandavit mansuefaciendos.
Felices Anglos quaterque felices!
Nisi quos ab hæresi Pelagianâ bis reduxerat
GERMANUS,
In hæresim Lutheranam bis induxissent

Germani,
Et pervertissent conversos.
Vah quater Apostatas!
Atenim bona verba
Jam jam veniet illud tempus
Cùm, aspirante efficacissimâ Dei gratiâ,
Exemplis præeunte FRANCORUM REGE CHRISTIANISSIMO,
LUDOVICO MAGNO
Britannorum Rex Serenissimus
Subjectas sibi regiones
Catholicæ demum Religioni subjiciens,
Sancti GERMANI operibus supremam manum adjiciet,
Coronamque imponet.
Nullum non movit lapidem ut GERMANUM obtereret
Tot cladibus læsus Cacodæmon;
Et ad lapidem allisit Sanctissimum Patrem,
Psal. 136. Qui parvulos ejus toties alliserat ad Petram;
Hæreticos scilicet ad Christum.
Lapidem hunc panxerat Malignus Spiritus,
Ut esset sancto viro palmarum terminus & meta.
At è contra, GERMANUS
Genes. 31. Hunc ipsum *lapidem erexit in titulum*,
Et æternum victrici gratiæ trophæum constituit.
Verumtamen, ne qui tot divina perpetrarat
Hominem esse se nesciret;
Redditâ aliis sanitate, ægrotavit;
Et omnium Medicus,
Eo casu, Angelico levamine indiguit.
Vix Autissiodorensibus redditus erat,
Cùm in Provinciam rogatus
Profectus est
Et licet senio gravis, onus illud non gravatè suscepit;
Ut commissum sibi populum tributis levaret,
Et, apud AUXILIAREM Præfectum,
Suis fieret Auxiliaris.
At ne quid sibi iterum nocere auderet Diabolus;
Fortem hunc armatum ligavit & combussit
Lectis lecti sui paleis.
Adeo vincire & vincere Dæmonem illi facile erat;

Britanniæ Majori adfuerat ,
Minori quoque Britanniæ adfuit ;
Ne cuiquam non adesset.
Quippe qui , ut omnes quiescerent ,
Nunquam sibi quiescendum existimabat.
Itaque Eochatico Germanorum Rege
Se permittente GERMANO regendum ;
Reges enim ut greges regebat bonus Pastor ;
Pax pacta fuit.
Quam ut ab Imperatore ratam impetraret ,
Ravennam se contulit.
Inter eundum , Encomiastas habuit
Et Dæmones quos torquebat ,
Et homines quos juvabat.
Accedenti accedebant populi ,
Nec solùm portæ pandebantur , sed & corda ;
Ac frustrà quærebat noctis tenebras,
Cujus bona opera coram hominibus lucentia
Splendidissimam illi facem præferebant. *Matt. 5.*
Ita receptus , acceptissimus fuit Valentiniano ;
A quo quicquid voluit ,
Non tam precibus quàm authoritate obtinuit.
Tantam quippe authoritatem
Sibi conciliaverat sanctitate ;
Ut ipse Imperatori imperaret ,
Ipsi Imperatrix ancillaretur.
Cum quâ etiam sacrum iniit commercium ,
Maximô utrinque fœnore ;
Nam ille disco ligneo argentum pauperibus ,
Illa disco argenteo cœlum sibi comparavit.
Sex ibi meruit Episcopos habere convictores ;
Non quibus dominaretur ,
Nullos enim habuit famulos , omnium famulus ;
Sed quos instrueret :
Tales enim eum decuit habere discipulos,
Qui cæteris Præsulibus superior,
Nullius discipulus , omnium Doctor fuit ;
Hoc tantùm aliis Doctoribus inferior,

Quòd cum tanta docuerit, nulla scripsit.
Maluit quippe scribenda facere, quàm scribere facienda.
Inde ad supremum Christi Vicarium Romam se contulit
Eique Anglicanæ Missionis rationem reddidit;
Et jamdiu emeritus miles
Honorariam missionem obtinuit,
Immortalitatis laureâ brevì coronandus.
Scilicet paulò post Ravennam reversus
Gravique morbo oppressus decubuit.
Ipsum ægrotantem inviserunt
Pontifices, Imperator, Imperatrix,
Apoc. 19. Ipse *Rex Regum & Dominus Dominantium* Christus,
Qui & supersubstantiali eum cibo recreavit:
Cœlo terraque stupentibus
Immortalem Dominum morienti servulo famulantem.
Tali ad veram vitam Viatico instructus,
Ioan. 14. Ab eo qui via, veritas & vita est,
Nimio febris & æstatis æstu
Ætatis vires superantibus;
Inter Angelorum cantus & hominum suspiria
Expiravit.
Sic ad eum pervenit qui ad ipsum venerat,
Sic Christum secutus consecutus est.
Genes. 2. Sic requievit, morbi die septimo,
Ab omni opere quod patrarat:
Et cum opus omnium operosissimum
Pacem consummasset;
Ut tandem laborum suorum fructu potiretur,
Consummatus ipse in pace quievit.
Suam moriens ad Genovefam misit manicam,
Cujus jamdiu manus erat cum illâ.
Luc. 23. Cæteri astantes partiti sunt sibi vestimenta ejus,
Et tunicam inter se diviserunt.
Vixit annos LXX.
Devixit anno CCCCL.
Pridie Calendas Augusti, primoribus noctis tenebris,
Occidente scilicet, in Germano, Occidentis sole.
Caverat, ante mortem, testamentô,

Ut corpus suum Autissiodorum referretur :
Adeo aulæ moram & auram ,
Etiam post lethum ,
Tanquam aliquid lethale fugiebat.
Ergo cunctis optimi parentis voluntati parentibus ;
Necessarios exequiarum sumptus faciente
Imperatrice liberalissimâ :
Præficas agentibus SANCTIS Virginibus quinque ,
MAGNANTIA , CAMILLA , PALAÏA , PORCARIA , MAXIMA:
Celeberrimo clarissimorum hominum cœtu
Religiosissimè funus prosequente :
Defuncti laudes celebrante
Sanctissimo Ravennatum Archi-Præsule CHRYSOLOGO :
Succollantibus sex Episcopis :
Non tam funebri quàm triumphali pompâ relatus est.
Enimverò ,
Quid hac sarcinâ nobilius ,
Cui tot Ecclesiæ Principes
Sacerdotii apicem lubentissimè submittebant ,
Honori non oneri tantum onus ducentes ?
Quid hoc corpore sacratius ,
Cujus vel solo contactu templa consecrabantur ?
Quid his exequiis mirabilius ,
Quibus continua ferè miracula ,
Maximam movebant admirationem ?
Autissiodori exceptus fuit , suorum Civium ,
Fletu dicam , an gaudio ?
Longè melius dicam , utrôque.
Fletu , quòd tantô orbati essent Patre :
Gaudio , quòd tantô fruerentur Patrono.
Ejus corpus hìc depositum ,
Postea fidelium cultui expositum ,
Omnibus præbuit salutis arrham in arâ ;
Miserias à miseris ,
Supplicia à supplicibus avertit ,
Cum esset divinæ & humanæ Majestatis reis asylum ;
Beneficos in se Francorum Reges

Beneficiis cumulavit
GERMANUS
Eorumdem Regum à CLODOVEO MAGNO Patronus.
Totque habuit Clientes, quot Christianos.
Donec superiore sæculo,
Proh dolor!
Acceptas in Pelagianis clades ulturi Calvinistæ
Illius ossa cum aliis confusa projecerunt.
De more.
Nam quid agant Babylonii cives,
Æternâ confusione digni,
Præter confusionem.
At quæ dispersérant Hæretici ossa,
Catholici, ut fertur, collegerunt;
Et aliquandiu secretò asservata
Hôc tandem in loco publicè colenda collocaverunt.
Referunt alii ipsa rogo imposita cremata esse.
Scilicet ut nostro Heroï inter AQUILAS sepulto
Sua fieret Apotheosis:
Et Phœnici Præsulum
Jam Empyreum è pyra prælibanti
Etiam ab injustis justa persolverentur.

INsalutatum ne prætereas
Beatum HUGONEM DE MONTE-ACUTO
Cujus corpus hic ad Sancti Nicolai sepultum
Pluribus fuit salutis causa.
Is ex Illustrissimo Burgundionum Ducum sanguine
Magni HUGONIS Cluniacensis Nepos.
A Patruo virtutum locupletissimo
Evangelicam paupertatem hæreditario jure adeptus est.
Generis & meriti fulgorem
A-rato Monachi habitu obnubilare frustrà nititur;
Namque ex Monacho Abbas San-Germanensis
Ex Abbate Episcopus Autissiodorensis
Omnium ubique virtutum splendore effulsit.
Nascentem

Naſcentem Ciſtercienſium Congregationem
Sinu excepit, fovit, educavit:
Ut alter ipſius Congregationis Parens jure vocetur.
Denique completo opere Dei
Felici Sanctorum ſomno quievit;
Vir inter hujus Sanctuarii Heroas
Si tempora numeres poſtremus;
Si ponderes merita graviſſimus.

SAcras ædes luſtranti
Ac demùm è Choro ſubeunti Navim
Occurrit Tibi
SANCTUS GREGORIUS
Qui & ſibi vitæ auſterioris Exercitiis
Et Gregi ſibi credito verbis & exemplis
Semper invigilavit
PASTOR
Re ut nomine vigilantiſſimus.

ATtende Viator.
Si quid nimietate peccavi, paucis abſolvam.
Quandoquidem, favente Divino lumine,
Pretioſum à vili ſeparare non ignoras: Ierem. 15.
Age vero;
Nonne aurum leve,
Si ad hujus ſanctuarii pondus expendatur?
Nonne gemmæ momenti nullius,
Præ religioſis iſtius templi monumentis?
Nonne adulterini maris uniones,
Compoſiti fraternæ unioni.
Quæ tot Sanctos in unum facit habitare, Pſalm. 132.
Cum Sancto GERMANO?
Atenim, ſic cenſent benè ſenſati.
Loculos in his loculis conſtituunt,

Et *quasi effodientes thesaurum*,
Gaudent vehementer,
Iob. 3. *Cum* Sancti alicujus *sepulcrum invenerint.*
Quæris unde tot Reliquiæ? has Summi Pontifices
Nicolaus I. Joannes VIII. & Joannes X.
Dono dedêre
At quereris forsitan cur tot & tanti viri
Nondum è tumulis in quibus jacent, fuerint elati,
Sumptuosisque inditi lypsanothecis?
Rationem subjicio.
Ut ante, ita post mortem elationem fugiunt;
Atque humum suam colunt,
Veri humilitatis cultores.
Et qui, dum vita manebat,
Delitescere in deliciis habuerunt;
Etiam vitâ functi delitescere delectantur.
Deinde.
Quis adeò munificus,
Ut sufficiat, sufficientem
Corporibus sacris includendis,
Copiam auri vel argenti?
Sæculo penitus ferreo?
Meliora mihi Tibique precare;
Sanctosque hujus loci incolas denuò veneratus,
Abi Viator.